

DE LIBERIS:

Mars in diurna nativitate in medio cœli, indicat paucitatem filiorum, & patrimonium consumi ostendit. In natali autem nocturno, hæc minora præstabit.

Almuten filiorum, aut Iupiter, aut dominus domus Almuten orientalis, dabit filios in iuuentute, occidentalis in senectute. Similiter dic de domino triplicitatis, primo, secundo, tertio.

Significator filiorum in parte orientali, significat filios in adolescentia; In medio cœli existens, in iuuentute.

Si fuerit pars filiorū in una quarta, & dominus eius in alia, filij eius dispergentur.

Almuten filiorum in signis paucorum à malis impeditus, & Iupiter combustus, & Venus impedita, significant sterilitatem.

Venus una ex dominis triplicitatis Iouis in apto loco, & alijs in locis malis, significat quod habebit filium, qui postea ex filijs suis tristabitur.

Dispositores locorum planetarum, qui dant filios, si fortes fuerint, & orientales, filij erunt nobiles, magnaç estimationis. Si autem in his contraria fuerint, contrarium dicito.

Pars fortunæ conueniens cum ascendentे, filius erit à patre dilectus, hæreditabit paternam substantiam. At si discordauerint, filius cum parente discordabit, & litigabit, nec hæreditabit eius bona,

Solin finibus infortunantium, uel eorum domicilijs in sexta uel duodecima, si fuerit à maleuolis male aspectus, indicat filios à parentibus ex hæreditari.

Eleuatio domini quintæ supra dominum ascendentis, ostendit filios futuros majoris prærogatiæ, ac uirtutis, quam ipsorum parentes fuerint.

Saturnus cum Ioue in quarta, uel septima, mœrorem ex filiorum infortunio, ad dicit, si non his sic existentibus, Mercurius forti Veneri iungatur, mulieres quidem steriles erunt, & Mars indicat Vunerem abortiri.

Quinta domus nati si est ascendens patris, erit inter patrem & filium sincerus, & constans amor.

Dominus ascendentis si applicat domino septimæ, natus habebit multos filios legitos. Si applicat domino sextæ, habebit ex concubinis.

Pars filiorum remota ab aspectu fortunarum in quadrato Saturni, aut in secunda domo ab ascendentे, aut si fuerint Iupiter, Venus, & Mercurius in opposito suarum domorum, aut Sol, uel Saturnus in opposito ascendentis, dant nato molestiam ratione filiorum.

Filiorum numerum sic scies. Vide fortiorem ex duobus dominis triplicitatis Iouis, primum scilicet & secundum, & quot sunt signa inter eum & ascendentem, tot dices filios, pro signo tamen communi duos accipies.

Vel quot signa sint inter partem filiorum, & dominum eius, tot filios habebit ut commune signum duos det.

Dominus quintæ si separatur à domino ascendentis, morientur filij aut nascetur mortui.

Pars filiorum in domo Saturni in aspectu infortunæ, morientur filij eius maiores. Si in domo Martis, morientur minores.

Mercurius in cardine oppositus Ioui, & alter eorum in prima, uel in septima, uel unus in medio cœli, & alter in quarta, natos misera morte prosternit.

Iupiter in sexta domo, si fuerit dominus ascendentis, uel medij cœli in nocturna genitura, uix fiet quin is exponetur, qui tunc in lucem uenerit, quod periculum eo inevitabilis eveniet, si aut Saturnus, aut Sol, aut Mars, Ioui ex opposito aduersabitur, aut deficiens ei Luna quadrato aspectu applicuerit.

Luna in signis contortis, aut ferinis, Cancro, Piscibus, Taurō, Capricorno, uel Scorpione, si non sit cum ea signi dominus, in quo ipsa est, ac male fuerit ab infortunis

naturis